AUGUSTINUS

12. Jh. Seite 81v

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26123
Copyright: Admont, Benediktinerstift

sententiam sufficere uideretur. Nam neminem sic loqui
ut dicat ite ad quendam. quis nesciat? Si enim diceret
ite ad quemcumque: aut ad quemlibet. posset esse integra lo
cutio. sed non esset certus homo ad quem mitterentur. cum
eum certum ostendat. quamuis tacito eius nomine marcus
et lucas. Sciebat quippe dominus ad quem mitteret. et ut eum
etiam illi quos mittebat inuenire possent. premonuit
quod indicium sequerentur de homine gestante lagenam
uel anforam. ut eum secuti ad domum quam uolebant
uenirent. Cum itaque hic non posset dici ite ad quemlibet
quod integritas quidem locutionis admittit. quanto
minus hic dici potuit ite ad quendam. quod omnino
numquam recta locutione dici potest. Sed plane discipulos
a domino non ad quemlibet sed ad quendam hominem. id est
ad certum aliquem missos esse manifestum est. quod nobis
ex persona sua recte potuit euangelista narrare ut diceret.
misit eos ad quendam. ut dicerent ei. Apud te facio pascha.
Potuit etiam sic. Misit eos ad quendam dicens. Ite dicite
ei. apud te facio pascha. Ac per hoc cum uerba domini posuisset
dicentis. ite in ciuitatem. interposuit ipse ad quendam. non
quia dominus hoc dixerit. sed ut ipse nobis insinuaret tacito no
mine fuisse quendam in ciuitate ad quem domini discipuli
mittebantur. ut prepararent pascha. ac sic post hanc ex persona sua
interpositionem duorum uerborum. sequitur ordinem uerborum domini
dicentis. et dicite ei. Magister dicit. Iam enim si queras
cui. recte respondetur. illi cuidam homini ad quem misisse
insinuauit euangelista cum ex persona sua interposuisset
ad quendam. et minus quidem usitata locutio. sed sic tamen

(Margin: Sed hoc loco rebus que insinuabatur ueritas non admittit.)
(Margin: Nota bene.)
(Margin: Nota)